ZWEIUNDSECHZIGSTER

JAHRESBERICHT

ÜBER DAS

KÖNIGLICHE PAULINISCHE GYMNASIUM

ZU MÜNSTER

IN DEM SCHULJAHRE 1881—1882,

MIT WELCHEM

ZU DER AM 24. MÄRZ STATTFINDENDEN SCHLUSSFEIER

EHRERBIETIGST EINLADET

DER DIREKTOR DES GYMNASIUMS

DR. JOHANNES OBERDICK.

INHALT:

MÜNSTER 1882.

DRUCK DER COPPENRATHSCHEN BUCHDRUCKEREI.

Progr. No. 318.

Quibus antiquis auctoribus Petrarca in conscribendis rerum memorabilium libris usus sit.

Pars prior.

Franciscus Petrarca quamquam carminibus Italico sermone scriptis, uberrimis illis quidem atque ornatissimis, sed quae a nostra in dicendo simplicitate atque veritate propter nimiam verborum copiam ac simulacrorum imaginumque involucra, ut plurima illius gentis, aliquantum remota sint, maximam apud nostrae aetatis homines gloriam assecutus est, ut propter illa virorum eruditorum paene omnium sit in ore: tamen, ut ipse Italica carmina non tanti facit quanti quae latine condidit,[1]) idem nobis censeo iudicandum esse, si in libris eius aestimandis non tam ad id animum advertimus, quod nobis pulchrum venustumque videatur, sed quid homines illorum temporum et maxime admirati in eo et studio atque diligentia imitati sint, id potius inquirimus.[2]) Mitto carmina latina, quae licet nobis non ab omnibus partibus probentur, attamen non tam parvi aestimanda sunt, quam multis videntur, cum illa aut omnino non legerint aut leviter attigerint: illud certum est, et impetu atque ardore, quo ipse mentem antiquorum scriptorum libris imbuebat, et disputationibus epistulisque in prosa oratione compositis, quibus amicos ad haec studia allicere atque quae ipse didicerat, in omnium notitiam atque usum conferre cupiebat, tanto opere eum multorum animos ad antiquas litteras traxisse tantoque eos affecisse antiquitatis amore, ut humanitatis studia, quae illis temporibus mirum quantum vigebant, quasi condidisse videatur. Atque in ea re vera eius auctoritas posita est, quae non solum ad Italicas valet litteras, sed ad omnes et illius et nostrae aetatis gentes, apud quas quidem liberales colantur artes. Nam cum media quae dicitur aetate in antiquis scriptoribus tractandis utilitate terminassent modum, Petrarca, totam antiquitatem complexus, nec eam penitus cognitam, sed cuius lineamenta formaque vera atque manifesta essent, litterarum doctrinaeque fontes aperuit, ex quibus etiam quae nostrae aetatis est humanitas manavit. Quam ob rem dignum id mihi visum est quod diligenter explorarem, qui antiquorum scriptorum libri noti illi fuissent, ut inde quae ei cum docta antiquitate ratio intercessisset melius colligeretur. Iam vero cum statuissem scribere de hac re aliquid hoc tempore, plura posthac, quoniam, ne extra fines huic libello concessos prodirem, totam rem absolvendam in aliud tempus reservavi: ordiri ab eo libro maxime volui, qui cum sua ipsius praestantia tum apud aequales auctoritate plurimum valeret. Quem rerum memorabilium librum intellego; iucundiores enim fortasse alii sunt, sed ex eo optime Petrarcae et diligentia in antiquis scriptoribus legendis et sollertia atque ars in scribendo perspici potest. Accedit illa quoque causa, quod in hoc opere nonnulli libri ab antiquis scriptoribus compositi memorantur, aut indicibus tantum allatis, aut locis de eis exscriptis, qui aut omnino perierunt aut mutilati ad nostra tempora pervenerunt, ut aliquantum ex hac quaestione luminis etiam ad illos redundare videatur. In hoc numero cum alii libri tum Ciceronis Academica sunt.[3])

Itaque Petrarcae libros rerum memorabilium ita per singula capita recensebo, ut ex quibus antiquis scriptoribus singulas res ille sumpserit breviter exponam. In quo multum me adiuvit

[1]) *Epist. de rebus familiaribus* VIII, 3 ed. Fracassetti, Florent. 1869. I, pag. 420: „Hinc illa vulgaria iuvenilium laborum meorum cantica, quorum hodie pudet ac poenitet.“ Cfr. *Ep. de reb. senil.* V 3; XIII 10; [illegible]

[2]) Cfr. *G. Voigt*, Die Wiederbelebung des classischen Alterthums. 2. Aufl. Berol. 1880. p. 23. *G.* [illegible] Leben und Werke. Lips. 1878. pag. 1 sqq. 684 sqq.

[3]) [illegible] pag. 9 sqq.

Gustavus Koerting, academiae Monasteriensis professor; is enim, qua est humanitate atque liberalitate, quae de hac re ipse diligentissime collegerat, ea officiosissime mecum communicavit. Placuit autem, priusquam universam quaestionem absolverem, unum de Petrarcae libro caput ad verbum exscribere, appositis locis antiquorum scriptorum, qui illi haec cum scriberet ante oculos videntur versati esse. Inde enim intellegi potest, quam scite atque diligenter ea, quae, antiquorum libros perscrutatus, ex his fontibus iudicio arbitrioque hauserat, ad unum quasi redegerit conspectum.

Petrarca Rer. mem. l. I cap. 2 de studio et doctrina. *Externi* 3 Plato.

Valer. Max. VIII, 7. de studio et industria. *Externi* 3 Plato.

De Platone, quod Sallustius ait de Carthagine, melius erat tacere quam parum loqui; ne tamen aut ipse unde laudem meretur silentio tegatur, aut mihi torpor ex admiratione surrepserit, carptim memorabitur.

Sallust. bell. Iug. 19, 2: Nam de Carthagine silere [1]) melius puto quam parum dicere.

Hic [1]) antiquissimo verumque nobilissimo genere, multum ipse nobilior, Athenis ortus,

Apulei. de dogm. Plat. I 1, 1: Ei Ariston fuisse pater dictus est. Ceterum Perictione Glauci filia mater fuit; et de utroque nobilitas satis clara. Nam Ariston pater per Codrum ab ipso Neptuno originem duxit; a Solone sapientissimo, qui legum Atticarum fundator fuit, maternus derivatus est sanguis.

eruditus a Socrate, patria et praeceptore clarissimis, brevi tamen sic utrumque superavit, ut nihil aut Socrati illo discipulo felicius contigerit aut Athenis illo cive gloriosius. Habuit et praeceptores alios, Dionysium in primis scripturarum rudimentis, Aristonem Argivum in palaestra, in qua luctator exercitatissimus evasit.

Apulei. l. c. Cum hoc Socrates in conventu hominum referret, Ariston Platonem puerum oblaturus Socrati magistro commodum prosequebatur.

Apulei. l. c. c. 2: Doctores habuit in prima litteratura Dionysium; at in palaestra Aristonem Argis oriundum, tantosque progressus exercitatio ei contulit, ut Pythia et Isthmia de luctatu certaverit.

Picturae quoque artem non liquit intentatam. Adhuc tragoedias scripsit, tantaque illi poetandi fiducia incesserat, ut ad eius professionem aspiraret, nisi magister Socrates hoc eius propositum mitigasset, ad altioris gloriae desiderium attollens.

Heraclidis [2]) primum sectator fuerat. Deditus tandem Socrati, coaevis [3]) suis post se relictis, ipsam Socratis doctrinam et ornavit eloquentia et rationibus armavit.

Picturae non aspernatus artem. Tragoedis et dithyrambis se utilem finxit. Iamque carminum confidentia elatus certatorem se profiteri cupiebat, nisi Socrates humilitatem cupidinis ex eius mentibus expulisset et verae laudis gloriam in eius animum inserere curasset. Et antea quidem Heracliti secta fuerat imbutus. Verum cum se Socrati dedisset, non solum ingenio atque doctrina Socraticos ceteros vicit, verum etiam labore et elegantia illustravit sapientiam ab eo sibi traditam: labore, quo eam asserere nisus est; elegantia, per quam venustate et maiestate verborum plurimum ei adhibuit dignitatis.

---

[1]) *Ed. Basil.* 1581 *fol.* Hinc. In editione Rerum memorabilium, *Bernae* 1604, quae plerumque cum editione Basil. 1581 consentit, exhibetur Hic. Alios libros aut impressos aut manuscriptos inspicere non potui. — [2]) Sic *ed. Bas.* et *Bern.* Sane legendum est Heracliti; sed codicum auxilio destitutus cum illud Heraclidis utrum Petrarcae an librarii errori tribuendum esset satis certo diiudicare non possem, lectionem retinui a re illam quidem alienam sed quam haud scirem an ab ipso scriptore profecta esset. — [3]) *Ed. Bas.* coëqueuis, *ed. Bern.* coëquaevis. Fortasse legendum est coaequalibus.

[1]) *tacere* solus s (Lipsiensis biblioth. senat. Rep. I 4. 41 membr. Poes. VIII.), sed ad marg. *silere* DIETSCH. Sed Epist. rer. sen. XV, 1 (p. 947 ed. Bas.) Petrarca quoque: de quo *(Joanne de Columna)*, ut de Carthagine ait Crispus, silere melius puto quam pa[illegible]

Ubi vero Socratem sibi [1]) mors eripuit, ne quid omnino temporis amitteret, quamvis iam eloquio et sapientia caelo par esset omnium iudicio, tamen Aegyptios sacerdotes adiit et ad quem mundus certatim discendi studio confluebat, ipsum ab aliis discere non puduit. Inde autem astrologiae peritissimus discedens ad Theodorum [2]) Cyrenaicum, praeclarum illius temporis geometricum, profectus est, quibus omnibus velut undique conquisitis mercibus instructus per Pythagorae tandem vestigia in Italiam venit.

Apulei. l. c. c. 3. Sed posteaquam Socrates homines reliquit, quaesivit unde proficeret, et ad Pythagorae disciplinam se contulit. Quam etsi ratione diligenti et magnifica instructam videbat, rerum tamen continentiam et castitatem magis cupiebat imitari. Et quod Pythagoreorum ingenium adiutum disciplinis aliis sentiebat, ad Theodorum Cyrenas, ut geometriam disceret, est profectus, et astrologiam adusque Aegyptum ivit petitum, ut inde prophetarum ritus etiam addisceret. Et ad Italiam iterum venit et Pythagoreos, Eurytum, Tarentinum et seniorem Archytam sectatus.

Invenisse ibi eum tum multos tum Archytam Tarentinum Timaeumque, eos cognovisse et ab eis didicisse Pythagorea omnia, auctor est Cicero.

Cic. de fin. V 29, 87: Nisi enim id faceret, cur Plato Aegyptum peragravit, ut a sacerdotibus barbaris numeros et caelestia acciperet? cur post Tarentum ad Archytam? cur ad reliquos Pythagoreos, Echecratem, Timaeum, Arionem Locros, ut, cum Socratem expressisset, adiungeret Pythagoreorum disciplinam eaque, quae Socrates repudiabat, addisceret?

In primisque immortalitatem animae, a Pherecyde, ut aiunt, repertam, a Pythagora susceptam, inexpugnabilibus vallavit argumentis.

Cic. Tusc. I 16, 38: Pherecydes Syrius primus dixit, animos esse hominum sempiternos.... Hanc opinionem discipulus eius Pythagoras maxime confirmavit..... (c. 17, 39) Platonem ferunt, ut Pythagoreos cognosceret, in Italiam venisse et didicisse Pythagorea omnia, primumque de animorum aeternitate non solum sensisse idem quod Pythagoram, sed rationem etiam attulisse.

Cfr. *Cic. de fin.* V 29, 87, quem locum supra laudavimus.

Inter Pythagorae successores arctiori amicitia complexus est Timaeum, ex Locris oriundum, sub cuius nomine praeclarissimum librum scripsit. In omni sane Pythagorea doctrina non minus castitatis [3]) imitator quam ingenii fuit. Praeter haec etiam ad Indos et ad Magos penetrare decreverat fecissetque, nisi eum velut in portu bellorum [4]) tempestas in patria tenuisset. Ubi nihilo segnius interea Parmenidis ac Zenonis inventionibus [5]) se dedit, ex multorum scilicet ingeniis libans, quod mox refusurus erat in plurimos. Scripsit equidem divina potius quam humana facundia libros multos, et ut de eo quae scripta sunt ad contextum referam, primus omnium tripartitam philosophiam copulavit et sibi invicem necessarias partes nec pugnare inter se tantummodo sed etiam mutuis se adiuvare auxiliis ostendit. [6]) Nam quamvis de diversis officinis haec

Cfr. *Apulei. l. c.* c. 3, lin. 5 huius pag.

Apulei. l. c. c. 3. Atque ad Indos et Magos intendisset animum, nisi tunc eum bella vetuissent Asiatica. Quapropter inventa Parmenidae ac Zenonis studiosius exsecutus ita omnibus quae admirationi sunt singula suos libros explevit, ut primus tripartitam philosophiam copularet sibique invicem necessarias partes neque pugnare inter se tantummodo sed etiam mutuis adiuvare auxiliis ostenderet.

Apulei. l. c. Nam quamvis de diversis officinis haec ei essent in philosophiae membra suscepta, naturalis a Pythagoreis, dialectica rationalis [1])

[1]) *I. e.* ei. De hoc Petrarcae usu loquendi cfr. *Koerting* l. c. p. 537. — [2]) *Ed. Bas.* et *Bern.* Theodosium. — [3]) *Ed. Bas.* et *Bern.* castigatis. — [4]) *Ed. Bas.* et *Bern.* libellorum. — [5]) *Ed. Bas.* et *Bern.* inventoribus. — [6]) *Ed. Bas.* et *Bern.* ostendunt.

[1]) Illud *rationalis* cum ex interpretatione verbi *dialectica* ortum esse manifestum sit, recte ab editoribus

essent ei philosophiae membra suscepta, naturalis a Pythagoreis, dialectica rationalis atque moralis ex ipso Socratis fonte, unum tamen ex omnibus et quasi proprii partus corpus effecit. Et cum princeps harum familiarum impolitas [1]) sententias et inchoatas auditoribus tradidisset, [2]) hic eas cum [3]) ratione limando tum orationis augustae honestissimam speciem [4]) induendo perfectas atque etiam admirabiles fecit. Hactenus alienis verbis usus sum; tempus est ex me aliquid loquendi. Hinc igitur validissima philosophiae radix exoritur, in plurimos postea sectarum ramos dissidentibus ingeniis divisa. Itaque iure optimo non Graeci tantum, sed M. Cicero et omnes doctiores Latinorum uno ore vel Platonem sibi gloriae philosophorum principem appellant,

vel qui minus, hunc vel illum gloriae sibi [5]) tribuunt collegam, alii Plotinum, ut Macrobius, alii Xenophontem, ut A. Gellius.

Itaque de collega fortassis aliqua, de Platone nulla quaestio est. Nec sum nescius, ab hac tanta Platonis laude quosdam, ut Tulliano eos nomine designem, plebeios et minutos vel, si

Senecae vocabulo uti malim, cathedrarios philosophos discordare, qui non aliter, quam in magno exercitu, seditiosum vulgus et ignavum magnis clamoribus permiscent novosque sibi duces faciunt, iusti imperii desertores. Quibus igitur militibus licet [6]) obstrepant innumeri [7]), paucos vel Graecorum vel Latinorum obiiciam, quorum congressu

[1]) *Ed. Basil.* et *Bern.* impollutas. — [2]) Petrarca numero singulari utitur, quia ad solum Socratem, non ad Pythagoram, spectat. Quod licet ad rem minus bene quadret, tamen ipsi scriptori tribuendum videtur, ut coniecturam loco adhibere facilius quam verius sit. — [3]) *Ed. Basil.* et *Bern.* tum, qui error ex summa similitudine, quae Petrarcae temporibus inter litteras c et t erat, ortus est. — [4]) *Ed. Basil.* et *Bern.* honestissima specie. — [5]) *i. e.* ei. — [6]) *Ed. Bas.* et *Bern.* licent. — [7]) *Ed. Bas.* et *Bern.* innumeris.

atque moralis ex ipso Socratis fonte, unum tamen ex omnibus et quasi proprii partus corpus effecit. Et cum principes harum familiarum impolitas sententias et inchoatas auditoribus tradidissent, eas hic cum ratione limando tum ad orationis augustae honestissimam speciem induendo perfectas atque etiam admirabiles fecit.

Cic. de fin. V 3, 7: (Peripateticorum veterum) princeps est Aristoteles, quem excepto Platone haud scio an recte dixerim principem philosophorum. — *Tusc.* I 10, 22: Aristoteles longe omnibus — Platonem semper excipio — praestans et ingenio et diligentia.

Macrob. Comment in somn. Scip. I 8, 5: Sed Plotinus inter philosophiae professores cum Platone princeps . . .

Gell. N. A. XIV 3, 11: Proinde igitur et Xenophon et Plato, Socraticae amoenitatis duo lumina, certare aemularique inter sese existimati sunt, quia de iis apud alios, uter esset exsuperantior, certabatur et quia duae eminentiae, cum simul iunctae in arduum nituntur, simulacrum quoddam contentionis aemulae pariunt.

Cic. Tusc. I 23, 55: Licet concurrant omnes plebei philosophi — sic enim ii, qui a Platone et Socrate et ab ea familia dissident, appellandi videntur —

Cic. de div. I 30, 62: hos minutos philosophos — *de sen.* 23, 85: ut quidam minuti philosophi censent.

Seneca de. brev. vitae 10, 1: Solebat dicere Fabianus, non ex his cathedrariis philosophis, sed ex veris et antiquis . . . .

recentioribus ex scriptoris oratione remotum est; mihi, quippe cui non quae ipse Apuleius scripsisset sed quae Petrarca legisset, in animo esset constituere, cum Apuleii codicibus ea vox retinenda visa est.

nec anceps bellum sit nec necessaria sententia, constetque alios fortassis a pluribus, Platonem certe a melioribus laudatum. Sed de hoc multa loqui locus dehortatur, ne scilicet a rerum narratione in contentionis studium transisse videamur.

Praestat igitur coeptum sequi et, ne vulgatum ingeram, lectorem, si forte nescis, admoneo, exstare librum elegantem L. Apulei Madaurensis, illustris Platonici, qui liber inscribitur de Platone.[1]) Illic quidem et ipsius prosapiam et tempus originis et parentum fratrumque ac praeceptorum nomina et studia et peregrinationes et patrimonii modum denique tanti viri opiniones celebres ac famosas de deo, de ideis, de mundo, de anima, de natura, de tempore, de stellis erraticis, de animalibus, de providentia, de fato, de daemonibus, de fortuna, de partibus animae et corporeo singulari domicilio, de sensibus, de figura corporis humani ac dispositione membrorum, de divisione bonorum, de virtutibus, de triplici virtute ingeniorum, de tribus causis appetendorum bonorum, de voluptate, de labore, de amicitia inimicitiaque, de turpi amore, de tribus amoribus, de speciebus culpabilium hominum, de statu et moribus atque exitu sapientis, de civitatibus, de re publica deque eius institutione legibusque optimis — de his, inquam, omnibus succincta brevitate conspicuum nec inamoenum cognitu reperiet tractatum.[2]) De initio mundi idem sibi quod nostris, cuius contrarium successori eius Aristoteli visum est, mundum non coepisse, ut testatur Cicero in primo Tusculanarum quaestionum libro,

licet Apuleius eum in hac opinione variantem dicat.

Ceterum tametsi ab initio huius operis decrevissem, ne quid aliunde quam ex saecularibus litteris sumptum intersererem, sive ignorantiae aliarum mihi conscius, sive ideo ne res distantissimas importuna permixtione confunderem, tamen cum ad hunc tantum philosophiae antistitem tamque religioni nostrae consentaneum ventum foret, temperare mihi non potui, quo-

Apulei. de dogm. Plat. l. I et II.

Cic. Tusc. I, 29, 70: Haec igitur et alia innumerabilia cum cernimus, possumusne dubitare quin iis praesit aliquis vel effector, si haec nata sunt, ut Platoni videtur, vel si semper fuerunt, ut Aristoteli placet, moderator tanti operis et muneris?

Apulei. l. c. I c. 8: Et hunc quidem mundum nunc sine initio esse dicit, alias originem habere natumque esse.

[1]) In plerisque codicibus ille liber inscribitur *de dogmate Platonis*. Mss. Harl. et Voss. dant *de Platone et eius dogmate liber incipit.* — [2]) Notandum est, Petrarcam ea tantum capita hic perstringere, quae genuinis duobus libris Apuleiani libri continentur, ut tertium Apuleii qui fertur librum aut omnino non cognovisse eum aut huic non attribuisse veri simile sit.

minus praefixam stilo metam parumper excederem idque ab ipso recognoscerem, quod non modo noster sed sequaces etiam sui memoriae prodiderunt. Igitur adventu suo in Aegyptum, quem supra retuli, praeter astrologiam prophetarum quoque ritus ac[1]) doctrinam didicisse Platonem fama est, quod et ipse Apuleius, vitae actuumque singulorum eius diligentissimus scrutator, asserit et gloriosus pater Augustinus in libris, quos de Christiana doctrina edidit, curiosius exsequitur. Narrat enim fuisse suis temporibus haereticos, qui dixerant Salvatorem nostrum non propriam, sed Platonicam habuisse doctrinam, ex ratione temporis blasphemiam colorantes quod prius Platonis philosophiam quam Christi evangelium esse constaret. Quae calumnia per sanctissimae memoriae Ambrosium Mediolanensem episcopum ita convicta est, ut ostenderetur, Platonem potius quae vera sensisset non quidem ex ore Salvatoris, quem videre non potuit, sed ab ipsius praeconibus longe ante promissis accepisse, siquidem quo tempore in Aegyptum venit, seu forte seu divinitus illic invenisse Hieremiam, a quo propheticum suscepisset arcanum, quod, ut dixi, successor eius Apuleius, quamvis multo brevius nec expresso Hieremiae nomine, consensit[2]).

Apulei. l. c. I 3: Astrologiam adusque Aegyptum ivit petitum, ut inde prophetarum ritus etiam addisceret.

Augustin. de doctr. Christ. II, 28: De utilitate autem historiae, ut omittam Graecos, quantam noster Ambrosius quaestionem solvit calumniantibus Platonis lectoribus et dilectoribus, qui dicere ausi sunt, omnes domini nostri Iesu Christi sententias, quas mirari et praedicare coguntur, de Platonis libris eum didicisse, quoniam longe ante humanum adventum Domini Platonem fuisse negari non potest. Nonne memoratus episcopus considerata historia gentium cum reppererisset Platonem Hieremiae prophetae temporibus profectum fuisse in Aegyptum, ubi tunc propheta ille erat, probabilius esse ostendit, quod Plato potius nostris litteris per Hieremiam fuerit imbutus, ut illa posset docere vel scribere, quae iure laudantur? Ante litteras enim gentis Hebraeorum, in qua unius Dei cultus emicuit, ex qua secundum carnem venit dominus noster, nec ipse quidem Pythagoras fuit, a cuius posteris Platonem theologiam didicisse isti asserunt. Ita consideratis temporibus fit multo credibilius, istos potius de litteris nostris habuisse, quaecunque bona et vera dixerunt, quam de Platonis dominum nostrum Iesum Christum, quod dementissimum est credere.

Idem tamen Augustinus in aliis postmodum libris, in quibus civitatem Dei aedificat et adversariam subvertit[3]) in hanc ipsam historiam

Augustin. de civ. Dei VIII, 11: Mirantur autem quidam nobis in Christi gratia sociati, cum audiunt vel legunt, Platonem de deo ista sensisse, quae multum congruere veritati nostrae religionis agnoscunt. Unde nonnulli putaverunt, eum, quando perrexit in Aegyptum, Hieremiam audisse prophetam vel scripturas propheticas in eadem peregrinatione legisse, quorum quidem opinionem in quibusdam libris meis posui. Sed diligenter supputata temporum ratio, quae chronica historia continetur, Platonem indicat a tempore, quo prophetavit Hieremias, centum ferme annos postea natum fuisse. Qui cum octoginta et unum vixisset, ab anno mortis eius usque ad id tempus, quo Ptolomaeus, rex Aegypti, scripturas propheticas gentis Hebraeorum de Iudaea poposcit et per septuaginta viros Hebraeos, qui etiam Graecam linguam noverant, interpretandas habendasque curavit, anni ferme reperiuntur sexaginta.

[1]) *Ed. Bas.* et *Bern.* ad. — [2]) Apuleii locus iam p. 3 a me allatus est. — [3]) *Augustinus* in *secundo Retractationum libro* haec ab Ambrosio in libro, qui inscriberetur de sacramentis sive de philosophia explicata esse narrat. Cfr. *Retract.* II 4, ubi inter ea, quae in libris de doctrina Christiana corrigenda esse fatetur, haec quoque profert: „Et in eo quod dixi de temporum historia sanctum Ambrosium solvisse quaestionem, tamquam coaetanei fuerint Plato et Hieremias, me fefellit memoria. Nam quid ille de hac re episcopus dixerit, in libro eius legitur, quem de sacramentis sive de philosophia scripsit. Hoc opus sic incipit: ‚Sunt praecepta quaedam'." Non pervenit ad nostram hic Ambrosii liber aetatem ab Augustino saepius allatus, de quo ille ep. 31 ad Paulinum Nolanum „Libros beatissimi papae Ambrosii credo habere sanctitatem tuam, eos autem desidero, quos adversus nonnullos imperitissimos et superbissimos, qui de Platonis libris Dominum profecisse contendunt, diligentissime et copiosissime scripsit." At-

reversus excussa diligentius annorum serie comperit, quod de Hieremia scripserat, non fuisse possibile, quia Hieremias scilicet centum annis ante Platonis originem prophetasset. Addit et aliam impossibilitatem; negat enim translationem septuaginta interpretum ex Hebraea in Graecam linguam potuisse ad Platonis notitiam pervenire, quae celebrata fuit regnante apud Aegyptios Ptolemaeo et ut fieret insistente, annos circiter sexaginta post Platonis mortem.

In hac igitur difficultate perplexus Augustinus per coniecturas egreditur opinaturque Platonem ut in sua doctrina tantam servet cum catholica veritate concordiam seu veterum forte quibusdam libris edoctum, seu potius iuxta illud Apostolicum: „quia quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim manifestavit illis" et quae sequuntur, seu, in quod magis inclinat et multis indiciis impellitur, ut quodam modo pro veritate consentiat, quia scilicet ille vir acutissimi et ad discendum insatiabilis ingenii sicut in Aegyptias, sic et in Hebraeas litteras alicuius interpretis colloquio penetrarit.

Undecunque sane haec tam virtutis amica philosophia manaverit, quam dei donum fuisse nemo dubitat, quanta sit inter illius opinionis et Christianorum fidem paritas qui scire volet, legat ipsius Augustini Confessionum librum septimum, ubi reperiet, in omnibus fere quae de Verbo Dei dicuntur a nostris, Platonem consentire, praeterquam in susceptione humanae carnis, ubi non contra dixit ille, sed siluit.

Hinc est quod in eisdem Confessionum libris

que varios Augustinus illi libro fecit indices, cum eum modo *de sacramentis sive de philosophia,* modo *de philosophia adversus Platonem,* modo *de sacramento regenerationis sive de philosophia*, nonnunquam denique simpliciter *de regeneratione* nominet. Platonem eo consilio in Aegyptum profectum esse, „ut Moysis gesta, legis oracula, prophetarum dicta cognoscerent," Ambrosius

Quapropter in illa peregrinatione sua Plato nec Hieremiam videre potuit tanto ante defunctum, nec easdem scripturas legere, quae nondum fuerant in Graecam linguam translatae, qua ille pollebat, nisi forte, quia fuit acerrimi studii, sicut Aegyptias, ita et istas per interpretem didicit, non ut scribendo transferret, quod Ptolomaeus pro ingenti beneficio, qui a regia potestate etiam timeri poterat, meruisse perhibetur, sed ut colloquendo quid continerent, quantum capere posset, addisceret. Hoc ut existimetur, illa suadere videntur indicia .... Et maxime illud, quod et me plurimum adducit, ut paene assentiar, Platonem illorum librorum expertem non fuisse....... Vehementer hoc Plato tenuit et diligentissime commendavit. Et nescio utrum hoc uspiam reperiatur in libris eorum, qui ante Platonem fuerunt... c. 11: Sed undecunque ista ille didicerit, sive praecedentibus eum veterum libris, sive potius quomodo dicit Apostolus, „quia, quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit; invisibilia enim eius a constitutione mundi per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque virtus eius et divinitas"[1] ......

Augustin. Confess. VII, 9: Et primo volens ostendere mihi, quam resistas superbis, humilibus autem des gratiam et quanta misericordia tua demonstrata sit hominibus via humilitatis, quod verbum tuum caro factum est et habitavit inter homines, procurasti mihi per quendam hominem immanissimo typho turgidum quosdam Platonicorum libros ex Graeca lingua in Latinam versos, et ibi legi, non quidem his verbis sed hoc idem omnino multis et multiplicibus suaderi rationibus, quod in principio erat verbum et verbum erat apud deum[2] . . . Quia vero in sua propria venit et sui eum non receperunt, quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios dei fieri, credentibus in nomine eius, non ibi legi. Item ibi legi, quia Deus verbum non ex carne, non ex sanguine, non ex voluntate viri neque ex voluntate carnis, sed ex Deo natus est. Sed quia verbum caro factum est et habitavit in nobis, non ibi legi.

August. Confess. III 4: Sunt qui seducant per philosophiam, magno et blando et honesto nomine colorantes et fucantes errores suos; et prope omnes, qui ex illis et supra temporibus tales erant, notantur in eo libro et demonstrantur, et manifestatur ibi salutifera illa admonitio

[1]) Rom. I. 19—20. — [2]) *Sequitur* Io. 1—5. 9—10.

scriptum est, ceterorum [1]) philosophorum scripta plena fallaciarum et deceptionum, secundum elementa huius mundi, quod ait Apostolus,

spiritus tui per servum tuum bonum et pium: „Videte ne quis vos decipiat per philosophiam et inanem seductionem, secundum traditionem hominum, secundum elementa huius mundi et non secundum Christum; quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter [1])".

Cf. *August. Conf.* VII 9, quem locum paulo supra attuli.

in Platonicis autem modis omnibus praedicari deum et eius Verbum. Sed ego video, quam cupide in idem quod mihi contingere meditabar incubuerim; deinceps igitur in perpetuum cohibebo.

Finis quidem vitae, quia studiorum Platonis fidelissimus testis erit, non est praetermittendus. Sub capite morientis Sophronis [2]) numeros constat inventos, ut non minus vere de hoc quam de Carneade dici possit, quod unus fuerit et philosophandi finis et vivendi.

Valer. Max. VIII 7 *ext.* 3: Altero etiam et octogesimo anno decedens, sub capite Sophronis mimos habuisse fertur; sic ne extrema quidem eius hora agitatione studii vacua fuit.

Valer. Max. VIII 7 *ext.* 5: Carneades laboriosus et diuturnus sapientiae miles, siquidem nonaginta expletis annis idem illi vivendi ac philosophandi finis fuit.

Obiit annis aetatis uno et octoginta exactis, mira res dictu, ipso suo natali die. Quam ob rem, ut in epistula quadam meminit Annaeus Seneca, magi, qui tunc forte Athenis erant, immolaverunt defuncto, amplioris fuisse sortis quam humanae rati, quia consumasset perfectissimum numerum, quem novem novies [3]) multiplicata componunt.

Seneca ep. 58, 31: Nam hoc scis, puto, Platoni diligentiae suae beneficio contigisse, quod natali suo decessit et annum unum atque octogesimum implevit sine ulla deductione. Ideo magi, qui forte Athenis erant, immolaverunt defuncto, amplioris fuisse sortis quam humanae rati, quia consumasset perfectissimum numerum, quem novem novies multiplicata componunt.

etiam *expos. in psalm.* CXVIII *serm.* 18 *cap.* 4 contendit. — [1]) *Ed. Bas.* et *Bern.* Caeterum. — [2]) *Ed. Bas.* et *Bern.* Stephanionis. — [3]) *Ed. Bas.* et *Bern.* nonies.

[1]) Col. 2, 8.

Sed quid opus est plura? Illud videmus, Petrarcam quae ab antiquis scriptoribus, qui ea aetate in doctorum manibus versabantur, de Platone tradita sunt, ea magna cum cura atque diligentia undique collegisse et collecta eleganter ac scite, quantum quidem tunc fieri potuit, inter se contulisse. Quod in omnia cadere huius libelli capita haud difficile est ad demonstrandum. Sed quoniam quam instituimus viam persequi longum est, nunc singula capita ita absolvam, ut non totos locos aut ex Petrarca aut ex antiquis scriptoribus afferam, sed ad quem quidque locum revocandum sit breviter exponam.

Liber I.

Caput I. De otio.

Ad capitis inscriptionem conferatur *Valerius Maximus*, qui capiti octavo libri VIII indicem fecit: *de otio laudato in Romanis,* et infra: *de otio laudato in externis.* Atque ex hoc Valerii capite multa ex iis, quae de otio Petrarca narrat, sumpta sunt. Itaque ne longus essem satis putavi, cum ille viri cuiusdam a Petrarca laudati mentionem facit, id ita significare, ut post ipsum nomen locum Valerii uncis circumscriptum adderem. Aliquid simile valet ad Petrarciani libri capita multa.

1. Scipio Africanus Maior. Eum dicere solitum, nunquam se minus otiosum esse quam cum otiosus, nec minus solum quam cum solus esset: *Cic. de off.* III 1, 1.

2. Scipio Africanus Minor (*Valer. Max.* VIII 8, 1). Eum cum Laelio rusticari atque cum eo conchas in littore legere solitum esse: *Cic. de or.* II 6, 22. Cf. *Valer. Max.* VIII 8, 1. *Hor. sat.* II 1, 71 sqq.

3. M. Tullius Cicero. Eum saepe cum rura peragraret solum fuisse: *Cic. de off.* III 1, 1 atque plura brevi tempore eversa[1]) quam multis annis stante re publica scripsisse: *Cic. ibid.* III 1, 4.

4. Mucius Scaevola (*Valer. Max.* VIII 8, 2) pilae et alveo calculisque vacasse dicitur: *Valer. Max. l. c.*

Externi:

1. Epaminondas. Eum, qui apud praestantissimos auctores vel primus vel inter primos Graeciae duces nominetur, fidibus praeclare cecinisse: *Cic. Tusc.* I 2, 4.

2. Achilles (*Valer. Max.* VIII 8 *ext.* 2). Simile aliquid Homerum de Achille tradere: *Valer. Max. l. c.*

3. Socrates (*Valer. Max.* VIII 8 *ext.* 1). Eum, cum iam aetate provectior esset, fidibus vacare coepisse: *Valer. Max. l. c.* (Eadem res narratur *Cic. de sen.* 8, 26). Eundem interposita arundine cruribus cum parvulis suis lusisse: *Valer. Max. l. c.*

Caput II. De studio et industria.

Haec verba sumpta sunt ex *Valer. Max.* VIII 7 *de studio et industria.*

1. C. Iulius Caesar. In libris a Caesare scriptis enumerandis Petrarca sequitur *Suetonium* (*Caes. cap.* 56). Illum, ut in Saturnalibus scriptum sit, omnem inconstantiam temporum vagam adhuc et incertam in ordinem statae definitionis coegisse: *Macrob. Sat.* I 14, 2. Etiam Ciceronem Caesaris commentarios laudasse: *Cic. Brut.* 75, 262. Quibus laudibus Hirtius, quem Suetonius scriptorem rerum a Caesare gestarum putet (*Suet. Caes.* 56), illos commentarios efferat: (*Hirt.*) *Caes. b. g. VIII 1, 1 sqq.* (Hirtii verba magnam partem a Suetonio l. c. laudantur.) Quanta celeritate in componendis libris usus sit: *Suet. Caes.* 56.

2. C. Caesar Augustus. Quanto ardore in studia liberalia incubuerit: *Suet. Oct. 84 init.* Qui libri ab eo scripti sint: *Suet. l. c.* 85.[2]) Quibus magistris in Graeca lingua atque in philosophia usus sit: *Suet. l. c.* 89[3]). Eum ingenia saeculi sui omnibus modis fovisse librosque saepe totos et ipsum senatui recitasse et populo notos per edictum fecisse: *Suet. l. c.* 89. Temporum rationem, quam I. Caesar primus ad certum ordinem redegerit, cum uno errore comperto emendavisse emendatumque aheneae tabulae incidisse, ut *scriptum in Saturnalibus: Macrob. Sat.* I 14 15.

3. M. Terentius Varro (*Valer. Max.* VIII 7, 3). Varrone neminem unquam doctiorem fuisse ne apud Graecos quidem, nedum apud Latinos, Lactantium confirmare: *Lactant. Firm. Divin. instit.* I 6.

Quae sequuntur: M. Tullius . . . in ipsis Academicorum libris, ubi nihil omnino firmandum, sed de omnibus dubitandum disputat, „omnium“ te „facile[4]) acutissimum“ dicit, deinde, velut memor propositi, subsequitur: „et sine ulla dubitatione doctissimum“ sumpta esse apparet ex *Augustino de civ. Dei*[5]) VI 2: „Denique et ipse Tullius huic tale testimonium perhibet, ut in libris Academicis dicat eam, quae ibi versatur,

---

[1]) Apud Petrarcam scriptum est *mersa.* — [2]) Placet afferre quae Petrarca de codice quodam epigrammatum et epistularum Augusti dicit, quem cum adulescens vidisset, postea multum quaesisset neque invenisset. „Scripsit et epigrammatum librum et epistolarum ad amicos.“ inquit, „conditum facetissima gravitate et luculentissima brevitate, quod opus inexplicatum et carie semesum adolescenti mihi in manus venit, multum frustraque postmodum quaesitum.“ De hoc epigrammatum libro cfr. *Suet. Oct.* 85. *Martial* XI 20; de epistulis *Suet. Caes.* 56. *Id. Oct.* 69. 71. 76. 86. *Id. Claud.* 4. *Id. vita Horat. p.* 45 *sq.* Reifferscheid. *Tacit. dial.* 13. *Quintil.* I 6, 19. I 7, 22. *Gell. N. A.* X, 24. *Macrob. Sat.* II 4, 12. *Claudian. ep. ad Olybr.* (41) 23. Ceterum cfr. *Weichert.* Imper. Caesaris Augusti operum reliquiae, Grimae 1841—46. I p. 150. Hi libri fuerint veri atque ab ipso Augusto conscripti necne, id non minus difficile est ad diiudicandum, quam est in epigrammate ab Hageno ex Bernensi codice nuper edito. (Cf. *Mus. Rhen.* 1880 p. 569 sqq.) Sed haud scio an recte *Voigt,* die Wiederbelebung des classischen Alterthums, p. 26, Petrarcam opinatur cum aetate provectus esset, in codicibus, quos admodum adulescens leviter inspexerit, putasse libros a se inventos esse, qui re vera in eis non fuerint. — [3]) Petrarca Augustum Apollodori Pergameni philosophi eiusque filiorum Dionysii et Canoris amicitiam quaesivisse narrat. In qua re memoria destitutus esse mihi videtur. Nam ut illud missum faciam, pro Canore Nicanorem apud Suetonium esse — in hac enim re, ut in aliis plurimis, non videtur Petrarca, sed qui editiones librorum eius curaverunt peccasse — Dionysii et Nicanoris pater quis fuerit licet ex maxima Suetonii codicum discrepantia erui vix possit: eum ab Apollodoro distiuguendum esse manifestum est. — [4]) *Ed. Basil.* et *Bern.* facilem. — [5]) Ed. Dombart, Lips. 1877. In ceteris Augustini libris afferendis plerumque editione Desiderii Erasmi, Basil. 1569, 10 tom. fol., usus sum; nonnulla correxi ex editione Maurinorum.

disputationem se habuisse cum Marco Varrone, homine, inquit, omnium facile acutissimo et sine ulla dubitatione doctissimo ... Et in eis libris, id est Academicis, ubi cuncta dubitanda esse contendit, addidit: sine ulla dubitatione doctissimo."[1]) Nam haec non ex ipsius Ciceronis Academicorum libro quodam, qui perierit — in eis enim qui exstant illa non leguntur — sed ex Augustino a Petrarca in suum librum collata esse, iudicio de Academicis apposito demonstratur, quo paene ad verbum Augustini locus „ubi cuncta dubitanda esse contendit" exprimitur.

Quae tunc ex Ciceronis Academicis afferuntur: Sunt vera ista, Varro. Nam nos in tanta urbe[2]) peregrinantes errantesque tamquam hospites veraces,[3]) tui libri quasi domum deduxerunt,[4]) ut possemus aliquando qui et ubi essemus agnoscere. Tu aetatem patriae, tu descriptiones temporum, tu sacrorum iura, tu sacerdotum, tu domesticam disciplinam, tu bellicam,[5]) tu sedem regionum et[6]) locorum, tu omnium divinarum humanarumque rerum nomina genera, officia causas aperuisti. Plurimum quidem poetis nostris omninoque Latinis et litteris et verbis luminis attulisti atque ipsum varium et elegans et omni fere numero poema fecisti philosophiamque multis locis inchoasti, cum partim tantum, i. e. a verbis *nam nos* usque ad verba *causas aperuisti*, apud Augustinum scripta sint, neque, quod equidem sciam, ab alio quoquam laudentur, ex ipso Cicerone manasse oportet. Sunt autem ista apud eum in primo Academicorum posteriorum libro.[7])

Atqui de Academicis a se quondam repertis ipse Petrarca haec in prima epistula decimi quinti libri epistularum rerum senilium:[8]) „Quaesivi et librum de laude philosophiae, quod et ipse libri titulus excitabat et in libris Augustini, quos iam legere coeperam, librum illum ad vitae mutationem et ad studium veri multum sibi[9]) profuisse compereram. Sic undique dignus videbatur, qui diligentissime quaereretur. Enim vero hic negotii nihil esse credidi; statim enim affuit non liber, sed falsa libri ipsius inscriptio. Quod sciens narro, ne quando tibi, quod impossibile arbitror,[10]) idem qui mihi illusit error obreperet. Legebam, neque aliquid de eo, quod titulus pollicebatur, inveniebam, stupebamque et tarditati meae alienum errorem imputabam. Demum cum legendo, cuius insatiabilem me natura facit, in libros Augustini de Trinitate, divinum opus, incidissem, inveni allegatum ibi librum, non quidem quem habebam, sed quem habere credebam, et aliquid ibi de eo libro positum, quo nihil est dulcius. Derigui[11]) et oblationem ratus experientiae,[12]) die quodam fervidus librum legi totum intentissime. Eius certe, quod apud Augustinum erat, penitus nihil inveni. Puduit errasse tam diu et remansi certus, librum illum non esse de laude philosophiae, sed quisnam esset, incertus; esse autem Ciceronis, stilus indicio[13]) erat; fuit enim caelestis viri illius eloquentia, imitabilis nulli. Post haec vero cum ultimo Neapolim[14]) venissem, Barbatus meus Sulmonensis, amicus optimus et tibi forsan saltem nomine cognitus, voti mei conscius, parvum Ciceronis librum mihi donavit, cuius in fine principium solum erat libri Academicorum. Quod ego perlegens conferensque cum illis, qui inscribuntur de laude philosophiae, luce clarius deprehendi illos esse duos, tot enim sunt, tertium et quartum vel secundum et tertium Academicorum, subtile opus magis quam necessarium aut utile."

Haec ille. Quae quantum valeant ut melius perspiciatur, nunc singula perlustremus. Atque primum quidem Petrarca narrat, cum Augustini libros legere coepisset, in iis hoc se invenisse, Ciceronis librum de laude philosophiae illi et ad vitae mutationem et ad studium veri multum profuisse.

---

[1]) Fragm. 36 Academicorum posteriorum apud Orellium, ed. 2. — [2]) *Ed. Bas.* tanto urbe. *Ed. Bern.* tanto orbe. *Cic.* et *Aug.* nostra urbe. — [3]) veraces *deest apud Cic. et Augustin.* — [4]) *Aug.* reduxerunt; *Ciceronis codices optimi* deduxerunt. — [5]) *Cic.* tu domesticam, tu bellicam disciplinam. *Aug.* tu domesticam, tu publicam disciplinam. — [6]) et *deest apud Ciceronem et Augustinum, per coniecturam inseritur a Lambino.* — [7]) c. 3 §. 9. — [8]) In interpretatione Italica a *Iosepho Francasetti* composita (Lettere senili di Francesco Petrarca volgarizzate e dichiarate con note da Giuseppe Fracassetti. Due volume. Firenze 1869—1870) est epistula prima libri XVI., tom. II p. 463 sq. In antiquis enim editionibus liber XIV et XV prima epistula libri XIV omissa in unum librum coniuncti sunt, ut liber XV harum editionum re vera sit liber decimus sextus. Fracassetti ex rebus in epistula prima libri XVI (XV) commemoratis eam conscriptam anno 1374 esse demonstrat. — [9]) *i. e.* ei. — [10]) *Fracassetti* interpretatur: „a togliere il pericolo quantunque remoto." — [11]) *Ed. Bas.* dirigui. *Recte Fracassetti haec verba sic in Jtalicum vertit:* Rimasi di stucco: e considerando essermi offerto il modo di scoprire il vero . . . — [12]) Perversissime, ut plurimis aliis locis, hic quoque in editione Bas. interpungitur, cum post *ratus* distinctio posita sit. — [13]) *Ed.* indicio. — [14]) *Ed. Bas.* Neapoli. *Sed* Neapolim *Fracassetti quoque vult, quippe qui interpretetur:* Indi a qualche tempo nell' ultima volta che io mi condussi a Napoli.

Iam vero in his verbis exsistit quaestio quaedam subdifficilis, primum quem Augustini librum Petrarca hic significet, tum quem Ciceronis librum ab Augustino laudatum esse velit; namque Augustinus Ciceronis libros cum laudat, inscriptione *de laude philosophiae* nunquam utitur.

Sed utrumque quomodo se habuerit alia Petrarcae epistula declaratur. Qui *ep. rer. sen.* VIII 6 „Est et Augustini opus aliud,“ inquit, „quod Confessionum dicitur, tredecim distinctum libris. . . . . Scito illum librum mihi aditum fuisse ad omnes sacras litteras. Quas, ut humiles et incomptas ac saecularibus impares, et nimio illarum amore et contemptu harum et opinione de me falsa atque, ut breviter et hoc ipse peccatum meum fatear, insolentia iuvenili et daemoniaco, ut intelligo clareque video nunc, suggestu diu tumidus adolescens fugi. Is liber me mutavit eatenus, non dico ut vitia prima dimitterem, quae vel hac utinam aetate dimiserim, sed ut ex illo sacras litteras nec spernerem nec odissem, immo vero me paulatim horror ille mulceret et invitas aures recusantesque ad se oculos traheret; denique ut amare litteras illas inciperem et mirari et quaerere atque ex eis, licet minus florum forsitan, at profecto plus fructuum quam ex illis aliis antea tam dilectis elicere.[1]) Neque vero dignum erat, nulla ex parte Christianum hominem Augustini eloquio mutari, cum, ut ipse dicti operis libro tertio meminit, Ciceronianus eum adeo mutasset Hortensius.“ In hac igitur epistula Petrarca quoniam inter Augustini libros Confessiones primas se legisse narrat, cum in prima epistula libri decimi quinti libros coepisse Augustini se legere dicat, librum a quo inceperit Confessiones intellegamus oportet. Atque apud *Augustinum in tertio Confessionum libro* haec scripta sunt: „Inter hos ego imbecilla tunc aetate discebam libros eloquentiae . . . . et usitato iam discendi ordine perveneram in librum quendam cuiusdam Ciceronis, cuius linguam fere omnes mirantur, pectus non ita. Sed liber iste ipsius exhortationem continet ad philosophiam et vocatur Hortensius. Ille vero liber mutavit affectum meum et ad te ipsum, domine, mutavit preces meas et vota ac desideria mea fecit alia.“[2])

Quae cum ita sint, Petrarcam cum librum *de laude philosophiae* nominet, *Hortensium* intellegere oportet, ut id quoque, quod altero loco in dubium vocabatur, quomodo intellegendum sit appareat; nam quod in prima epistula libri XV rerum senilium libro de laude philosophiae tribuit, id in epistula sexta libri VIII Ciceronis Hortensio effectum esse narrat. Ac ne quis temere hoc a nobis dici existimet: neque alii neque Orellius utrumque indicem coniungere dubitaverunt. Quin etiam ipse Cicero istum librum fuisse totum tradit de laudibus philosophiae, cum *de div.* II 1, 1 haec dicat: „Nam et cohortati sumus, ut maxime potuimus, ad philosophiae studium eo libro, qui est inscriptus Hortensius.“ Est igitur unus liber, cui ex argumento indicem *de philosophia*, ex eo, cuius tota fere videtur fuisse disputatio, indicem *Hortensius* factum esse puto, haud secus ac *Laelium* sive *de amicitia* inscriptum esse notum est.

Verum in rebus apertissimis ne nimium longi simus, nunc in ipsius Francisci verbis explicandis pergamus. Is cum ab Augustino in Confessionibus librum illum tantis laudibus elatum invenisset, librum quendam, qui Hortensius inscribebatur, qui ei statim affuit, inspexit; sed nihil eorum invenit, quae et ipsa libri inscriptione et Augustini laudibus permotus sese inventurum esse speraverat. Quae res eum attonuit; suo ipsius ingenio atque tarditati attribuit, quod librariorum errore commissum erat. Neque id mirum; nam qui liber Hortensius ab eis inscriptus erat, is, id quod postea demum cognovit, Lucullus sive Academica inscribendus erat.

Sed quoniam in quem laqueum falso codicis cuiusdam indice se induerit exposui, nunc quomodo ex eo se expedierit explicabo. In Confessionibus bis laudatur Hortensius; locus de eo affertur nullus. Itaque Petrarca, quod, cum codicem illum legeret, a spe repulsus esset, id in obtunsum tardumque ingenium conferre potuit; haud ita multo post, cum in alio Augustini libro locum quendam ex[3]) Ciceronis Hortensio ad verbum exscriptum[4]) videret, non potuit. Atque id factum est,

---

[1]) Cf. *Koerting* l. c. pag. 495 sq. — [2]) *August. Conf.* III 4. Cf. *ibid.* VIII 7: Multi mei anni mecum effluxerant, ex quo ab undevicesimo anno aetatis meae lecto Ciceronis Hortensio excitatus eram studio sapientiae. Cf. *de vita beat.* 4. — [3]) Id enim significat praepositio *de,* qua utitur Petrarca, cum dicit: „et aliquid ibi de eo libro positum (*sc.* inveni), quo nihil est dulcius.“ Cf. *Cic. de or.* I 59, 252: Vox et gestus subito sumi et aliunde arripi non potest, iuris utilitas ad quamque causam quamvis repente vel a peritis vel de libris depromi potest. *Cic. de off.* III 21, 82: Ipse autem socer in ore semper Graecos versus de Phoenissis habebat. *Quintil.* VI 3, 86: Versus enim dicere coepit de libro Ennii annali sexto. — [4]) Hanc vim in Petrarcae verbis: „inveni allegatum

cum legendi cupiditate adductus etiam ad libros Augustini de Trinitate pervenisset. In quibus quattuor locis ipsa Ciceronis verba afferuntur, i. e. lib. XIII c. 4 Opp. Bas. 1569 tom. III col. 408 c.; lib. XIII c. 5 col. 409 a; lib. XIV c. 9 col. 432 b; lib. XIV c. 19 col. 441 a. Quam ob rem ille, occasionem experientia verum cognoscendi sibi factam ratus, totum librum diligentissime perscrutatus est; sed eorum, quae apud Augustinum ex vero Hortensio allata erant, in suo libro, quem Hortensium esse putabat, nihil investigare potuit.

Iam id certum habebat, librum quem possideret Hortensium non esse; quis esset, nesciebat. Sed enim ex ipso dicendi genere Ciceronianum illum librum esse perspicuum erat. Neque tamen in hac obscuritate dubitationeque diu remansit. Nam cum a Barbato quodam Sulmonensi codicem Ciceronianum accepisset, cui in fine principium Academicorum adiunctum erat, postquam libros quos falso Hortensium inscribi iam ante cognoverat, cum Academicis — is enim index huic libro in codice Barbati factus erat — a Barbato ei datis contulit, non Ciceronis Hortensium, sed Academicorum duos libros sibi in manibus esse perspexit. In qua re unus residere videtur scrupulus; non enim liquet, utrum ambo Academicorum libri in utroque codice fuerint an singuli libri in singulis codicibus.

Sed haec omitto; leviora enim sunt. Illud nunc videamus, quos Academicorum libros ille habuerit. Scripsit Academicorum Cicero sex libros, cum quae duobus Academicorum priorum libris exposuerat, post in quattuor Academicorum posteriorum libros conferret [1]). Ex quo numero exstant priorum Academicorum liber secundus, qui idem inscribitur Lucullus, posteriorum primus. Age vero quod Petrarca tertium et quartum vel secundum et tertium librum se invenisse dicit, hac ipsa eius dubitatione efficitur, in codice librorum numeros adscriptos non fuisse, ut in dubio res relinquatur atque aliunde veritas eruenda sit. Atqui ipso genere erroris, quo Petrarca primum deceptus fuit, id consequi possumus, ut quid de re putandum sit intellegamus. Eis libris, quos Academicos esse Petrarca postremo cognoverat, nomen praepositum erat Hortensii. Iam vero secundus Academicorum priorum liber, qui Lucullus a Cicerone inscriptus erat, media quae dicitur aetate alio facto indice Hortensius appellabatur. Goerenz, qui vir ac Madvigio plus aequo castigatus Ciceronis opera philosophica edidit, hunc indicem in compluribus codicibus haberi — sic enim est cum in aliis tum in codice Gudiano — neque de eius veritate Ioannis Baptistae Pii Bononiensis aetate, ut ex eius emendationibus et annotamentis in M. Tullii ad Hortensium opus eluceret, dubitatum esse dicit. [2]) Atque item a Vincentio Bellovacensi in *speculo doctr. V 12* ad Hortensium liber ille vocatur. Quid? Hortensium quendam Petrarca cum haberet ita falso indice inscriptum, quem postea de Academicis quendam librum esse perspiceret, nonne Academicorum priorum librum secundum, qui exstet, qui multos annos Hortensii nomine distinctus sit, Petrarcae istum librum fuisse censebimus? Atque profecto hunc Academicorum librum Petrarcae notum fuisse ex eo quoque perspicuum est, quod ad res in eo memoratas paene iisdem verbis quibus Cicero utitur illum spectare videmus. Sed concessis hoc loco mihi finibus ut contineatur oratio, hanc rem accuratius uberiusque tractandam in posterum differro; nunc unum locum ex rerum memorabilium libro secundo afferam,

---

ibi librum, non quidem quem habebam, sed quem habere credebam" inesso puto. In aliam sententiam Koerting vocem *allegatum* accipit, ut verbum allegandi pro eo dictum sit quod est *alligare*, i. e. apponere, adnectere. Haec enim l. c. p. 489 apud eum scripta sunt: „Das andere Mal fand er in einem Codex, welcher Augustins Bücher ‚de trinitate' enthielt, eine Schrift angebunden, deren Styl es unzweifelhaft machte, dass sie wirklich ciceronianisch sei, aber da die von Augustin gegebenen Citate sich in ihr nicht fanden, so konnte sie mit der Schrift ‚de laude philosophiae' nicht identisch sein." Sed *allegare*, si Mauritium Seyffert in Scholis latinis (II ed. 3. Lips. 1872 pag. 161) et Krebsium in Antibarbaro (ed. 5. Francof. 1876 pag. 124) audire volumus, idem significat apud scriptores neolatinos quos vocant atque verbum afferendi sive, ut magis clare quam latine loquar, verbum citandi; in qua sententia Koerting eam vocem positam putat, ea neque apud antiquum quemquam neque apud recentem scriptorem adhibetur. Eadem sententia atque nos Fracassetti locum accipit; sic enim interpretatur (*l. c. pag.* 463): „Ma venutami fra le mani la divina opera di Agostino intorno la Trinità, e postomi a leggerla coll' usata mia avidità, ivi trovai citato un passo, ed era bellissimo, non del libro che io possedeva, ma di quello che credeva di possedere". Sequitur ut alter Hortensii codex Augustino adnexus, in quem Koerting Petrarcam incidisse contendit, nullus sit. Quae bona eius venia dixerim. Praeclare enim *Simplicius* (in Aristotelis libros de caelo fol. 69, pag. 488 b 5—7 apud Brandis, Schol. in Arist.): *ταῦτα πρὸς τὸν Ἀλέξανδρον εἶχον λέγειν, αἰδούμενος μὲν τὸν ἄνδρα καὶ χάριτας ὀφείλων αὐτῷ, νομίζων δὲ καὶ αὐτῷ φίλον εἶναι τὸ τὴν ἀλήθειαν προτιμᾶν.* — [1]) Cf. *Cic.* ad Att. XII 13, 1. 16, 1. — [2]) Ad *Cic. Acad.* II 1, 1. Cfr. praeterea *Baiter* in editione stereotypa, vol. XI. Lips. 1869 p. 56.

quo ipse Petrarca Ciceronem rei a se memoratae — narratur autem in secundo Academicorum libro — auctorem esse dicit. Nam quae Petrarca in capite primo secundi libri rerum memorabilium de Lucullo et Hortensio dicit: „Sed cum duplex memoria sit, una rerum, verborum altera, primam, qualem in Fabio modo rettuli, talem in Lucullo, amplissimo et imperatore simul et philosopho, admirabiliter comperio viguisse, secundam habuisse videtur Hortensius. Utriusque testis est Cicero, coaetaneus amborum," eius rei Cicero in altero libro Academicorum mentionem facit. „Habuit enim (L. Lucullus) divinam quandam memoriam rerum," inquit, „verborum maiorem Hortensius."[1])

Quae cum ita sint, unus quidem liber quis fuerit videmus; age sis quis alter fuerit — duos enim Petrarca commemorat — indagemus. Iam vero ex primo Academicorum posteriorum libro locum quendam, ut eo revocetur unde huc declinavit oratio, a Petrarca nullo interveniente translatum esse supra demonstravimus. Ex quo perspicuum est, praeter secundum priorum Academicorum librum primum Academicorum posteriorum ei notum fuisse. Quem Petrarca fortasse intellexit, cum tertium Academicorum librum se invenisse dicit; hic enim liber quoniam primus posteriorum Academicorum est, proxime sequitur librum secundum priorum Academicorum, ut, si omnes Academicorum libros quasi uno tenore numeramus, quodam modo tertius appellari possit. Quod vero Petrarca de tertio et quarto libro profert, id, cum ab ipso corrigatur, [2]) non tanti videtur ut accuratius examinetur.[3])

Verum haec quidem de Academicis libris; nunc ad propositum revertamur. Atque ceteris quidem rebus, quae de Varrone a Petrarca narrantur, ad suos auctores revocatis restat ut de corona navali dicam, qua a Pompeio Magno eum ex piratico bello donatum esse ille narrat. Quae res traditur a *Plinio Maiore* in *historia naturali* VII (30, 31) 115.

4. M. Tullius Cicero. Ciceronem a *Plinio Secundo in libro naturalis historiae septimo* iuxta Varronem collocatum esse: *Plin. h. n.* VII (30, 31) 116. Quae tum de Ciceronis vita et scriptis exponuntur, ea ita generatim dicta sunt, ut ad quem antiquum scriptorem referenda sint indagari vix possit. Sed haec quae memorentur videntur digna esse. Mihi quidem vix unquam peregrinatio longior suscepta est, inquit, ubi non incognitos Ciceronis, ne dicam libros, sed inaudita librorum nomina compererim. Quod in extremo capite dicit, Senecam eloquentia sua Ciceronem in carminibus destitutum esse contendere, est apud *Annaeum Senecam* in *excerptis controversiarum libr.* III *praefat.* §. 8.

5. M. Tullius Tiro. Is, ut *Aulus Gellius* tradit in libro *noctium Atticarum*, librorum patroni sui M. Tullii studiosissimus erat: *Gell. Noct. Att.* XV 6, 2. Loco proxime insequenti: „Constat hunc de patroni sui iocis libros edidisse et quidquid sibi passim memoratu dignum acciderat, accuratissime colligentem in unam congeriem redegisse, ne qua pars illius eloquii periret" utrum scriptori *Macrob. Sat.* II 1, 12: „Cicero autem quantum in ea re valuerit quis ignorat qui vel liberti eius libros, quos is de iocis patroni composuit, quos quidam ipsius putant esse, legere curavit" an *Quintil.* VI 3, 5: „Utinam libertus eius Tiro aut alius, quisquis fuit, qui tris hac de re libros edidit, parcius dictorum numero indulsissent et plus iudicii in eligendis quam in congerendis studii adhibuissent" ante oculos fuerit, id diiudicare non audeo, cum illinc vocabula *de iocis* et *patroni sui*, hinc vocabulum *congeries* sumptum esse possit. Sed ad Macrobium magis inclino.

6. Sallustius Crispus. De hoc Petrarca: „Crispus Sallustius, nobilis veritatis historicus — sic enim de illo apud auctores verissimos scriptum video — quo fidelius res Africae complecteretur, libros Punicos perquisivit peregrinamque linguam per interpretem flagranti studio scrutatus est. Quin et maria transgressus dicitur, ut oculis suis crederet de condicionibus locorum." Quae mediae aetatis alicuius scriptoris videntur commenta esse, exceptis primis verbis, quae ille ex *Augustino* in suum transtulit. Haec enim apud Augustinum in primo libro *de civitate Dei* (cap. 5) scripta sunt: „Sallustius, nobilitatae veritatis historicus."[4])

---

[1]) *Cic. Acad.* I 1, 2. — [2]) Ita Fracassetti quoque locum intellegit, sic interpretatus: „m' avvidi che questo conteneva due libri, quanti sono appunto, cioè il terzo ed il quarto, che sono veramente il secondo ed il terzo delle Academiche. — [3]) *Attilio Hortis* (M. T. Cicerone nelle opere del Petrarca e del Boccacio, Trieste 1878. p. 53 n. 1) item negat, Petrarcam praeter hos duos Academicorum libros alios habuisse. — [4]) Cfr. *Augustin. Epist.* 139 c. 16: In libro etiam belli Catilinae . . . idem nobilissimus historicus.

7. Titus Livius. Petrarcae ne omnes quidem, qui nobis sunt, libri noti erant, cum libros XXXI — XXXV in manibus non habuisse videatur. Haec enim eius verba sunt: „Sed heu, quantam aetatis nostrae maculam! huius tam ingentis tamque egregii operis vix portio subest exigua quidem. Cum in decades vel ab ipso conditore vel, quod magis reor, a fastidiosis postmodum lectoribus [1]) lectum [2]) foret, ex quattuordecim non nisi tres decades supersunt, prima scilicet, tertia et quarta. Secundam quidem ipse ego hortante quondam sacrae memoriae Roberto Siciliae rege summa, sed hactenus inefficaci diligentia quaesivi.“ Neque id mirum; nam etiam in editione principe, quae circa annum 1469 cura Io. Aleriensis Romae prodiit [3]) et in ceteris editionibus usque ad Venetam anni 1498, hi libri desunt.

Livii et Vergilii scripta et imagines paulum afuisse quin Caligula ex omnibus bibliothecis amoveret: *Suet. Calig.* 34.

8. Plinius Secundus. Quod Petrarca Plinium triginta septem historiae Romanae totidemque historiae naturalis libros composuisse tradit, ipso errore, qui in numerandis commissus est historiae Romanae libris, eum haec e Suetonio, non e Plinii Minoris epistularum libro tertio hausisse comprobatur. Nam cum apud Plinium Minorem in epistula illa, qua avunculi scripta recenset, omnes codices exhibeant: „bellorum Germaniae viginti“ (*Plin. epist.* III 5, 4. Recens. H. Keil, Lips. 1870), in *vita Plinii Secundi* a *Suetonio* composita, quae in codicibus historiae naturalis ipsius Plinii libris plerumque praeposita est, in libris manu scriptis sic est: „Itaque bella omnia, quae unquam cum Germanis gesta sunt, XXXVII voluminibus absolvit,“ neque, quod in editionibus ut videtur omnibus correctum invenitur, „XX voluminibus.“ [4]) Accedit quod ipse Petrarca paulo infra dicit: „Plinii opus, in quo, *ut est apud Tranquillum,* omnia bella tractaverat, quae cum Romanis unquam gesta sunt.“

His placet adiungere, quae Petrarca de Plinii libris historicis frustra a se quaesitis addit. Inde enim et quantus in illo litterarum antiquarum amor fuerit apparet et illum quodam modo ipsum praesensisse, se quasi medium inter duas aetates positum esse: „Sed quot [5]) praeclaros vetustatis auctores,“ inquit, „tot posteritatis pudores ac delicta commemoro, quae quasi non contenta propriae celeritatis infamia alieni fructus ingenii ac maiorum fastidiis vigiliisque elaboratos codices intolerabili neglegentia perire passa est, cumque nihil ex proprio venturis daret, avitam hereditatem abstulit. Primum nempe Plinii opus, in quo, ut est apud Tranquillum, omnia bella tractaverat, quae cum Romanis unquam gesta sunt, ex oculis nostris evanuit nec usquam superest, quod [6]) ego quidem, talium satis ardens explorare, audierim. Hoc autem et quidquid in hanc sententiam questus sum non ad minuendum post nascituri populi studium rettuli, quin dolorem meum potius effundens et aetati curiosissimae in quibus non oportet, rerum tam honestarum prorsus incuriosae, [7]) soporem ac torporem exprobrans. Equidem apud maiores nostros nihil querimoniae similis invenio nimiumque nihil iacturae, cuius ad nepotes nostros, si, ut auguror, res eunt, forte nec sensus ullus nec notitia pervenisset: ita apud alios integra, apud alios ignorata omnia, apud venturos lamentandi materia. Ego itaque, cui nec dolendi ratio, sed nec ignorantiae solamen adest, velut in confinio duorum populorum constitutus ac simul ante retroque prospiciens, hanc non acceptam a patribus querelam ad posteros deferre volui.“

---

[1]) In qua re Petrarca errasse videtur. Cfr. *E. Wölfflin*, Philologus XXXIII, p. 140—146. — [2]) In hoc vocabulo, licet et in Basilensi et in Bernensi editione scriptum sit, mendum tamen subesse puto. Fortasse legendum est *sectum*. — [3]) Fol. max., apud Sueynheym et Pannartz. Cfr. *Schweiger*, Lehrbuch der classischen Bibliographie. Zweiten Theiles erste Abtheilung. Leipzig 1832. p. 524. — [4]) Cfr. C. Suetonii praeter Caesarum libros reliquiae ed. *Reifferscheid*. Lips. 1860. p. 93. — [5]) *Ed. Bas.* quòd. — [6]) *Ed. Basil.* et *Bern.* tot. Atque has editiones plurimis scatere vitiis saepius vidimus, ut in eas idem cadat, quod in librariis Petrarca vituperat, sic eorum inscientiam accusans *(de Remediis utr. fort. I dial. 43):* „Ut ad plenum auctorem constet integritas, quis scriptorum inscientiae inertiaeque medebitur corrumpenti omnia miscentique? . . . . Quisquis pingere aliquid in membranis manuque calamum versare didicerit, scriptor habebitur, doctrinae omnis ignarus, expers ingenii, artis egens. Non quaero iam nec queror orthographiam, quae pridem interiit. Qualitercunque utinam scriberent quod iubentur! Appareret scriptoris infantia, rerum substantia non lateret. Nunc, confusis exemplaribus et exemplis, unum scribere polliciti, sic aliud scribunt, ut, quod ipse dictaveris, non agnoscas. An si redeat Cicero aut Livius multique alii veterum illustrium, ante omnes Plinius Secundus, sua scripta relegentes, intellegent, et non, passim haesitantes, nunc aliena credent esse, nunc barbara?“ Ceterum cfr. *Corradini* in libro qui inscribitur *Padova a Francesco Petrarca nel quinto Centenario della sua morte. p. 94.* — [7]) *Ed. Basil.* incuriosê; *ed. Bern.* incuriose.

9. Porcius Cato (*Valer. Max.* VIII 7, 1) Latinas litteras aetate provectus, Graecas senio gravis didicit: *Valer. Max. l. c.*[1]) Quae tum de eius meritis dicuntur, ex *Plin. h. n.* XIV (4, 5) 44 sumpta sunt. Quater et quadragies postulatus absolutusque est: *Plin. h. n.* VII (27, 28) 100. Sextum et octogesimum annum agens capitali crimine accusatus suam optime causam egit, quin etiam in ipso vitae fine Galbae accusationi defensionem suam pro Hispania opposuit: *Valer. Max.* VIII 7, 1.

10. Q. Roscius Comoedus (*Valer. Max.* VIII 7, 7). Ciceronem populum Romanum obiurgasse, quod Roscio gestum agente tumultuasset: *Macrob. Sat.* III 14, 12. Quod tunc additur, illum pro Roscio in foro locutum esse, id cum alii tum *Plinius h. n.* VII (30, 31) 116 et *Macrobius Saturn.* III 14, 12 tradunt, ut ex hac oratione a Petrarca memorata non continuo colligi possit, ipsam orationem ei in manibus fuisse. Roscium nullum unquam spectanti populo gestum nisi quem domi meditatus fuisset ponere ausum esse: *Valer. Max.* VIII 7, 7.

Proxima verba: „Qua diligentia eo profectus est, *ut apud ipsum Ciceronem scriptum est*, miranda eorum impudentia qui agerent in scaena, gestum inspectante Roscio. Et sequitur huius dicti ratio: quis enim sese commovere potest, cuius ille vitia non videat?“ ex *Ciceronis libro II de oratore (cap. 57 §. 233)* hausta sunt. Sic enim ille: „Quamquam soleo saepe mirari eorum impudentiam, qui agunt in scaena gestum inspectante [2]) Roscio. Quis enim sese commovere potest, cuius ille vitia non videat?“ [3]) Quae ob eam potissimum causam ad verbum in hanc disputationem transfero, ne quis forte putet, Petrarcam totam orationem pro Roscio comoedo neque eam tantum eius partem quae exstet in manibus habuisse, ut ex perdita parte sumere illa potuerit; nam ne ea quidem quae Macrobius Ciceronem dicentem facit in oratione pro Roscio comoedo scripta erant, sed in oratione de Othone, cuius Cicero in epistula quadam ad Atticum mentionem facit. [4]) De hac enim *Plutarchus, Cic.* 13: *Τῶν γὰρ ἱππικῶν*, inquit, *πρότερον ἐν τοῖς θεάτροις ἀναμεμιγμένων τοῖς πολλοῖς . . . πρῶτος διέκρινεν ἐπὶ τιμῇ τοὺς ἱππέας ἀπὸ τῶν ἄλλων πολιτῶν Μάρκος Ὄθων στρατηγῶν καὶ διένειμεν ἰδίαν ἐκείνοις θέαν, ἣν ἔτι καὶ νῦν ἐξαίρετον ἔχουσι. Τοῦτο πρὸς ἀτιμίας ὁ δῆμος ἔλαβε καὶ φανέντος ἐν θεάτρῳ τοῦ Ὄθωνος, ἐφυβρίζων ἐσύριττεν, οἱ δ' ἱππεῖς ὑπέλαβον κρότῳ τὸν ἄνδρα λαμπρῶς. Αὖθις δὲ ὁ δῆμος ἐπέτεινε τὸν συριγμόν, εἶτα ἐκεῖνοι τὸν κρότον. Ἐκ δὲ τούτου τραπόμενοι πρὸς ἀλλήλους ἐχρῶντο λοιδορίαις, καὶ τὸ θέατρον ἀκοσμία κατεῖχεν. Ἐπεὶ δ' ὁ Κικέρων ἧκε, πυθόμενος καὶ τὸν δῆμον ἐκκαλέσας πρὸς τὸ τῆς Ἐνυοῦς ἱερόν, ἐπετίμησε καὶ παρῄνεσεν.* Sic igitur res se habet: quae in ea orationis a Cicerone pro Roscio comoedo habitae parte quae exstat scripta sunt, ea apud Petrarcam non memorantur; quae apud Petrarcam de oratione quadam pro Roscio habita afferuntur, ea apud Macrobium narrantur, sed dicta erant in oratione pro Othone. Ex quo apparet, ipsam orationem pro Roscio Petrarcae in manibus non fuisse. Quod in plurimos Ciceronis orationes cadere alio loco demonstrabo.

Roscium non vulgo solum, verum etiam principibus civitatis acceptum fuisse: *Valer. Max.* VIII 7, 7, praecipue Ciceroni: *Macrob. Sat.* III 14, 11. Ciceronem cum eo, ut in *Saturnalibus* scriptum esset, saepius contendisse, utrum eloquentia an histrionia praestantior esset Rosciumque librum de hac re conscripsisse: *Macrob. Sat.* III 14, 12. Eum a Sulla anulo aureo donatum atque, ut *Macrobius* diceret, mercedem diurnam de publico mille denarios accepisse: *Macrob. l. c.* §. 13.[5])

11. Aesopus Tragoedus. Ciceronis familiarem eum fuisse: *Macrob.* III 14, 11. — Aesopum Rosciumque Hortensio causas agente frequenter adstitisse: *Valer. Max.* VIII 10, 2.

---

[1]) Cfr. *Cic. Acad.* II 2, 5; sed *de sen.* 8, 28 Graecarum tantum litterarum mentio fit. — [2]) *inspectante* tres codices apud Orellium in editione secunda; reliqui *spectante*, quam vocem editores plurimi receperunt. — [3]) Nam quae Cicero in oratione pro *P. Quinctio* (24, 77) dicit: „Cum cupidius instaret, homini pro amicitia familiarius dixi, mihi videri ore durissimo esse, qui praesente eo gestum agere conaretur,“ quamvis re idem valeant, verbis tamen magis absona sunt, quam ut Petrarcam ad ea spectare putemus. — [4]) *Cic. ad Att.* II 1, 3: „Oratiunculas autem et quas postulas et plures etiam mittam ..... Quarum una est in senatu Kal. Ian. .... tertia de Othone ...“ Eandem orationem *Baiter* (Ciceronis opera. Ed. stereotypa. Vol. XI. Lips. 1869, p. 12) a *Plinio* intellegi perspexit, apud quem in septimo *historiae naturalis* libro (c. 30. s. 31. §. 116) haec scripta sunt: „Te suadente Roscio theatralis auctori legis ignoverunt (tribus) notatasque se discrimine sedis aequo animo tulerunt.“ — [5]) Cfr. *Plin. h. n.* VII (39, 40) 128. *Cic. pro Rosc. Com.* 8, 23. *Ludov. Janus* ad Macrob. Sat. III 14, 13.

Externi:

1. ARCHIMEDES (*Valer. Max.* VIII 7 ext. 7), unicus, ut ait *Livius*, spectator caeli siderumque: *Liv.* XXIV 34. Lunae solis errantium motus cum in sphaera illigavit, effecit idem, *ut Ciceronis verbis utar,* quod ille qui in Timaeo mundum aedificavit Platonis deus: *Cic. Tusc.* I 25, 63. Bellicis tormentis operibusque Syracusas a Marcello obsessas defendit: *Liv.* XXIV 34. Invito Marcello a milite quodam interfectus est: *Valer. Max.* VIII 7 ext. 7.[1]) Quod Marcellus cum aegre ferret, et sepulturae curam habuit et propinquis nomen illius praesidio esse voluit: *Liv.* XXV 31. Cicero, *ut in Tusculano suo scribit,* eius saeptum undique vepribus et dumetis indagavit sepulcrum: *Cic. Tusc.* V 23, 64.

2. PYTHAGORAS (*Valer. Max.* VIII 7 ext. 2) Samius, Demarati[2]) filius: *Iustin.* XX 4, 3. Odio tyrannidis sponte exsul factus[3]), quae humanis visibus natura negarat, oculis ea pectoris hausit: *Ovid. Metam.* XV 60—64. In colloquio cum Leonte, principe Phliasiorum, primus non sapientem se, sed philosophum, i. e. sapientiae studiosum esse dixit, *quod de hoc viro in Tusculanis (V 3, 8—9) libris scribit Cicero.* In Aegyptum, Persidem, Babyloniam, *ut Iustinus ait,* tum Cretam Spartamque profectus est: *Iustin.* XX 4, 3—4 (Persae a Iustino omissi memorantur apud *Ciceronem de fin.* V 29, 87; *Valerium Maximum* VIII 7 *ext.* 2[4])). Cum Pherecydes Syrius primus dixisset animos esse hominum sempiternos, hanc opinionem discipulus eius Pythagoras maxime confirmavit; *cuius rei Cicero testis in Tusculanis (I 16, 38) est.* Magnam Graeciam transgressus Metaponti diem obiit: *Iustin.* XX 4, 17; *Valer. Max.* VIII 7 *ext.* 2.[5]) Nec vero nominis (philosophi) solum inventor, *ut Cicero idem ait,* sed rerum etiam ipsarum amplificator fuit privatimque et publice praestantissimis et institutis et artibus Italiam ornavit: *Cic. Tusc.* V 4, 10.

3. PLATO. Cfr. p. 2 sqq.

4. ARISTOTELES. „Quid aliud de ipso dicam, quam quod *Macrobius:* hic vir tantus nihil mihi videtur ignorare potuisse“: *Macrob. Comment. in somn. Scip.* II 15, 18. Quodsi Petrarca Platonem propter ingenii singularem quandem altitudinem d i v i n u m, Aristotelem propter scientiae ubertatem **d a e m o n i u m** suis etiam temporibus dici se accepisse narrat: non ex antiquo quodam scriptore aut Graeco aut Latino, sed ex sermone atque usu viri cuiusdam Graecarum litterarum periti — sive Barlaam is fuit, imperatoris Andronici legatus, a quo Graecam linguam per aliquot menses didicit,[6]) sive alius amicus — hanc notitiam ei allatam esse verba ipsa: „accepimus a Graecis h o d i e e t i a m apud eos Platonem . . . dici“ aperte indicant.

Eum a Cicerone longe omnibus, excepto Platone, et ingenio et diligentia praestantem dici: *Cic. Tusc.* I 10, 22; ab Augustino in libris de civitate Dei Platoni quidem imparem, sed multos facile superantem: *August. de Civ. D.* VIII 12; sed ab Averroë confirmari naturam in hoc viro fecisse potentiae extremum.[7]) In qua tanta inter viros doctos discrepantia Petrarca *pastorum illo carmine* utitur: „Non nostrum inter vos tantas componere lites“: *Verg. Ecl.* 3, 108.

5. SOCRATES (*Valer. Max.* VIII 7 ext. 8) primus philosophiam devocavit e caelo et coegit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere: *Cic. Tusc.* V 4, 10; erat enim, *ut ait Valerius,* vitae magister optimus: *Valer. Max.* III 4 ext. 1.

6. DEMOSTHENES (VIII 7 ext. 1.) Quantis laboribus cum natura proeliatus oris vitia correxerit atque perfectam absolutamque dicendi facultatem assecutus sit: *Valer. Max.* VIII 4 ext. 1.

---

[1]) *Liv.* 25, 31. *Cic. de fin.* V 19, 50. *Plin. h. n.* VII (37, 38) 125 minus cum Petrarcae verbis conveniunt. — [2]) Cfr. *Zeller,* Die Philosophie der Griechen in ihrer geschichtlichen Entwickelung dargestellt. I Theil 4. Aufl. p. 270 not. 1. — [3]) Cfr. *Apulei. Florid.* II num. XV p. 55 ed. Hildebrand, cuius tamen libri Petrarca notitiam non videtur habuisse. — [4]) *Cic. de fin.* V 2, 4; *Tusc.* V 4, 10; *de or.* III 34, 139. — [5]) Cfr. *Apulei. Flor.* II num. XV p. 56; *de magia* c. 31 p. 514. — [6]) Cfr. *Koerting* l. c. p. 152 sq. — [7]) Cfr. *Averroes* (Ibn Roschd) *Comment. in Arist. de an.* l. III f. 169 (1550): „Aristoteles est regula et exemplar, q u o d n a t u r a i n v e n i t a d d e m o n s t r a n d a m u l t i m a m p e r f e c t i o n e m h u m a n a m.“ (Illud Averrois multorum iam oculos in se convertit; cfr. *Albertus Magnus* de an. III tr. 2 c. 3 Opp. t. III p. 135. *Roger. Baco* Op. Maius p. 36. *Aegidius Romanus* Quodl. III qu. 13.) *Prooem. in Arist. Physica fol.* 3 b: „Aristoteles tros scientias invenit, logicam naturalem divinam, et nullus error inventus est usque ad hoc tempus, quod est mille et quingentorum annorum. Et talem esse unum hominem potius est miraculosum, quam totum humanum genus.“ Cfr. *Tennemann,* Gesch. d. Phil. VIII p. 421 sqq. *Ritter,* Gesch. d. Phil. VIII p. 117. *Renan,* Averroès et l'Averroïsme. 3 ed. Par. 1866 pag. 54—57. *Petrarca* „stultos Aristotelicos“ reprehendit *de ign. sui ips. et mult.* p. 1052.

7. Democritus *(Valer. Max.* VIII 7 ext. 4). Is, quo magis vacuo animo litteris operam navaret, patrimonium suum patriae donavit atque Athenas se contulit: *Valer. Max. l. c.* Idem variis imaginibus, quae per oculos corporis in animum irrumperent, cogitationis acumen obtundi ratus, oculos sibi passus est erui, quam rem „in historiis Graecorum contineri *auctor est Gellius*" *(N. A.* X 17, 1)[1] „Apud *Ciceronem* quidem ita scriptum est: Democritus luminibus amissis .... ut nulla extremitate consisteret": *Cic. Tusc.* V 39, 114.

8. Carneades (*Valer. Max.* VIII 7 ext. 5). Is ita ad studia incubuit, ut, cum cibi capiendi causa recubuisset, cogitationibus inhaerens manum ad mensam porrigere oblivisceretur: *Valer. Max. l. c.* Idem cum Chrysippo[2] disputaturus helleboro se ante purgabat: *Valer. Max. l. c.* Eum Peripateticorum et Stoicorum controversiam tamquam honorarium arbitrum iudicare *auctor est Cicero (Tusc.* V 41, 120).

9. Chrysippus *(Valer. Max.* VIII 7 ext. 10). Eum plurimos libros conscripsisse: *Valer. Max. l. c.* Deinde verba: „Subtilitatem hominis laudarem, nisi occurreret *quod apud Senecam inveni:* Chrysippi acumen, inquit, in se ipso frangitur" ad hoc Senecae refero: „Cuius (*i. e.* Chrysippi) acumen nimis tenue retunditur et in se saepe replicatur" *Senec. de benef.* I 4, 1.

10. Cleanthes *(Valer. Max.* VIII 7 ext. 11). Quae de hoc Petrarca dicit: „Huius (*i. e.* Chrysippi), ut *Ciceroni placet,* magister .... Cleanthes" non omnino manifestum est, sintne derivata ex *Cic. de fato* 7, 14: „ut Chrysippo placet, dissentienti a magistro Cleanthe," an ex *Acad.* II 47, 143: „Quid? cum Cleanthe, doctore suo, quam multis rebus Chrysippus dissidet!", quamquam propter vocem *magistri* a Petrarca usurpatam locum e libro de fato allatum ei ante oculos fuisse puto. Quod tunc dicitur: *„ut vult Valerius,* discipulus," est apud *Valerium Maximum* in libro VIII (7 ext. 11), ex quo eodem quae de Cleanthis studio atque industria narrantur deducta sunt.[3]

11. Isocrates *(Valer. Max.* VIII 7 ext. 9). Is quartum et nonagesimum annum agens nobilissimum librum[4] scripsit vixitque quinquennium postea: *Valer. Max. l. c.*[5] Hic est Graecus ille orator, *de quo in Saturnalibus,* ut ait Petrarca, „quod primum omnia verba soluta et vaga sub numeros arctavit": *Macrob. Sat.* VII 1, 4. Quod non ita accipiendum, ut carminis inventorem eum existimemus. Namque *Tullius in Rhetoricis testatur,* hunc Aristotelis aequalem fuisse: *Cic. de invent.* II 2, 7.[6] Iam Homerum et Hesiodum, Graecorum poetarum praeclarissimos, ante conditam Romam fuisse *idem Cicero testis est (Cic. Tusc.* I 1, 3), ut non carminum istius sed numerorum inventionem propriam esse putandum sit. *Quod ipse M. Tullius* de oratore *diligentius exsequitur;* ait enim ille, Isocratem, cum videret oratores cum severitate audiri, poetas autem cum voluptate, tum numeros secutum, qui a Thrasymacho et Gorgia inventi essent: *Cic. orat.* 52, 174—176.

12. Sophocles *(Valer. Max.* VIII 7 ext. 12), cum centesimum fere annum ageret, Oedipode fabula scripta, *ut Valerius ait,* omnium eiusdem studii poetarum praeripere gloriam potuit: *Valer. Max. l. c.*

13. Diodotus[7] Stoicus. Eum caecum multos annos domi suae *refert Cicero* vixisse atque cum in philosophia multo etiam magis assidue quam antea versaretur et cum fidibus Pythagoreorum more uteretur cumque ei libri noctes et dies legerentur, tum, quod sine oculis fieri posse vix videretur, geometriae munus tuitum esse, verbis praecipientem discentibus, unde quo quamque lineam scriberent: *Cic. Tusc.* V 39, 113.

14. Solo *(Valer. Max.* VIII 7 ext. 14). Quantum in eo studium fuerit sapientiae ex illo perspicitur, quod de se ait, se cottidie aliquid addiscentem senescere: *Valer. Max.* VIII 7 ext. 14.[8] Idem *in Platonis Timaeo* „e numero septem sapientum primarius" dicitur *Plat. Tim. 20 D: ὡς ὁ τῶν ἑπτὰ σοφώτατος Σόλων ποτ᾽ ἔφη,* de quo loco quid sentiendum sit mox videro. Quanta industria flagraverit, ipso vitae supremo die confirmavit, cum assidentibus amicis et quadam de re sermonem inter se conferentibus caput erigeret interrogatusque, quapropter id fecisset, responderet, ut, cum istud de quo disputarent percepisset, moreretur: *Val. Max. l. c.*

---

[1]) Cfr. *Cic. de fin.* V 29, 87. — [2]) *Gellius N. A.* XVII 15, 1—3 et *Plin. h. n.* XXV (5, 21) 52 Carneadem, cum Zenonis libris responsurus esset, helleboro usum esse narrant. — [3]) Cfr. *Cic. de sen.* 7, 23. — [4]) Is liber *Panathenaicus* inscribitur. — [5]) Cfr. *Cic. de sen.* 5, 13. 7, 23. — [6]) *A. Hortis l. c.* p. 27 n. 3 errare videtur, cum Petrarcam ad Ciceronis *Oratorem* (51, 172?) spectare putet. — [7]) *Ed. Bas.* et *Bern.* Diodorus. — [8]) Cfr. *Cic. de sen.* 8, 26. 14, 50.

In verbis quae proxime sequuntur: „Ceterisque laude dignis, *ut est apud Platonem,* praestitisse videtur Solon, sed etiam carminibus; qui si non perfunctorie sed dedita opera poetica exercitatus fuisset, nec impedimento bellorum civilium, quae conceperat, omisisset,[1]) forte nec minor Homero fuisset nec Hesiodo“, Sponte apparet et rerum et verborum absoluta fere convenientia cum hoc *Platonis* loco qui est in *Timaeo* (21 B—C): *εἶπεν οὖν δή τις τῶν φρατέρων, ... δοκεῖν οἱ τά τε ἄλλα σοφώτατον γεγονέναι Σόλωνα καὶ κατὰ τὴν ποίησιν αὖ τῶν ποιητῶν πάντων ἐλευθεριώτατον. ὁ δὴ γέρων . . . εἶπεν· Εἴ γε, ὦ Ἀμύνανδρε, μὴ παρέργῳ τῇ ποιήσει κατεχρήσατο, ἀλλ᾽ ἐσπουδάκει καθάπερ ἄλλοι, τόν τε λόγον, ὃν ἀπ᾽ Αἰγύπτου δεῦρο ἠνέγκατο, ἀπετέλεσε καὶ μὴ διὰ τὰς στάσεις ὑπὸ κακῶν τε ἄλλων, ὅσα εὗρεν ἐνθάδε ἥκων, ἠναγκάσθη καταμελῆσαι, κατά γε ἐμὴν δόξαν οὔτε Ἡσίοδος οὔτε Ὅμηρος οὔτε ἄλλος οὐδεὶς ποιητὴς εὐδοκιμώτερος ἐγένετο ἄν ποτε αὐτοῦ.* Atqui constat, Petrarcam sedecim Platonis dialogos habuisse; id enim ipse et in altero libro dialogi *de contemptu mundi* (p. 346 ed. Basil. 1581) et in libro qui inscribitur *de ignorantia sui ipsius et multorum* (p. 1053 sq.) narrat. Sed quoniam eo quem primum attuli loco propter linguae Graecae inscitiam ipsis Platonis libris quid contineatur se effugisse dicit,[2]) viri docti eum de Platone nihil cognovisse putarunt nisi quae apud Latinos, Ciceronem imprimis atque Apuleium, de eo scripta essent.[3]) Quod in plerisque Platonis libris verum esse concedo: at non in omnes id valere ex eo apparet, quod duo de Platonis Timaeo loci apud Petrarcam, ut vidimus, in vita Solonis afferuntur. Ex quo efficitur, ut Timaei saltem notitiam ille habuerit, non quo ipsa Graeca verba legerit, sed interpretatione Latina usus videtur. Quod si nondum satis cernatur, cum rei ipsius necessitate comprobari videatur: Petrarca ipse in libro de ignorantia sui ipsius et multorum adulescentulis quibusdam, qui eum vanitate atque superbia capti calumniati erant eiusque accusaverant ignorantiam, Platonis aliquot libros e Graeco in Latinum versos se adeptum esse respondet.[4]) Atqui illud quod supra e Petrarca attuli: „e numero septem sapientum primarius,“ ad verbum in interpretatione Timaei a *Chalcidio* facta[5]) scriptum est. Hac igitur Petrarca, ut qui media aetate fuere viri docti,[6]) usus est.

Haec habui de antiquis scriptoribus a Petrarca in primo rerum memorabilium libro adhibitis quae dicerem; restat ut libros quos illum aut novisse aut non habuisse vidimus, quo maior rerum evidentia evadat, iuxta positos oculis subiciamus.

Atque hos libros, quos habuisse eum fortasse quis putaverit, eum effugisse demonstravimus: Ciceronis *Acad. prior. I. poster. II III IV. Hortens.; orat. pro Rosc. com.;* Livii libros XXXI—XXXV; hoc vero inspexisse eum locos: Apulei. *de dogm. Pl.* I et II. Augustin. *de civ. D.* I 5. VI, 2. VIII 11. 12. *Confess.* III 4. VII 9. *de doctr. chr.* II 28. Caes. *B. G.* VIII, 1. Cicero *Acad.* II 3. 9. 47, 143? *Brut.* 75, 262. *de div.* I 30, 62? *de fato* 7, 14? *de fin.* V 3, 7. 29, 87. *de inv.* II 2, 7. *de off.* III 1, 1. 4. *orat.* 52, 174—176. *de or.* II 6, 22. 57, 233. *de sen.* 23, 85? *Tusc.* I 1, 3. 2, 4. 10, 22. 16, 38. 17, 39. 23, 55. 25, 63. 29, 70. V 3, 8—9. 4, 10. 23, 64. 39, 113. 114. 41, 120. Gell. X, 17, 1. XIV 3, 11. XV 6, 2. Iustin. XX 4, 3. 4. 17. Lactant. *Div. inst.* I 6. Liv. XXIV 34. XXV 31. Macrob. *Com.* I 8, 5. II 15, 18. *Sat.* I 14, 2. 15. II 1, 12. III 14, 11. 12. 13, VII 1, 4. Ovid. *Met.* XV 60—64. Plin. *h. n.* VII 100, 115. 116. XIV 44. Quintil. VI 3, 5?? Sallust. *C. Iug.* 19, 2. Seneca *controv. excerpt.* III *praef.* 8. Seneca *de benef.* I 4, 1. *de brev. vit.* 10, 1. *ep.* 58, 31. Sueton. *Caes.* 56. *Oct.* 84. 85. 89. *Calig.* 34. *vit. Plin.* p. 93. Val. Max. III 4 ext. 1. VIII 7, 1. 3. 7. ext. 1—12. 14. VIII 8, 1. 2. ext. 1. 2. VIII 10, 2. Verg. *Ecl.* 3, 108. Plato *Tim.* interprete Chalcidio 20 D. 21 B—C.

---

[1]) *Ed. Bern.* omisset. — [2]) *de Contemptu mundi II p. 346:* Augustinus: Scis quid loquar, et haec ex Platonis libris tibi familiariter nota sunt, quibus avidissime nuper incubuisse diceris. Franciscus Petrarca: Incubueram, fateor, alacri spe magnoque desiderio; sed peregrinae linguae novitas et festinata praeceptoris (Barlaamum intellegit) absentia praeciderunt propositum meum. — [3]) Cfr. *Koerting* l. c. p. 479. — [4]) *de ign. sui ips. et mult. p. 1053 sq:* Sexdecim vel eo amplius Platonis libros domi habeo. Bibliotheca nostra . . . . neque illis ignota est, quam (*sc.* bibliothecam) totiens me tentantes ingressi sunt. Semel ingrediantur et Platonem tentaturi, an et ipse sine litteris sit famosus; invenient sic esse ut dico meque licet ignarum, non mendacem tamen, ut arbitror, fatebuntur, neque Graecos tantum, sed in Latinum versos aliquot nunquam alias visas adspicient litteratissimi homines. — [5]) Ed. *Wrobel,* Lips. 1876. Apud Chalcidium *sapientum* est in codd. Vind. 3 et 4; alii exhibent *sapientium.* — [6]) Velut *Albertus Magnus,* S. th. II 24 b. 39 b. 71 a. 129 a. 324 a. 337 b. 446 a. (Cf. *v. Hertling,* Albertus Magnus, Köln 1880. p. 27); *Thomas Aquinas* S. th. I 66, 1 ad 2. 74, 3 ad 4.

Schulnachrichten.

I. Unterrichtsplan des Schuljahres 1881—82.

1. Ober-Prima, Coetus I. u. II.

Ordinarien: Coetus I. Herr Oberlehrer Dr. Wormstall.
Coetus II. im Sommer-Semester Herr Oberlehrer Dr. Hüser,
im Winter-Semester Herr Oberlehrer Dr. Vockeradt.

1) Religionslehre. 1. Für die katholischen Schüler: a. Eschatologie. b. Allgemeiner Teil der Pflichtenlehre. c. Wiederholung und Erweiterung der wichtigsten Abschnitte der Glaubens- und Sittenlehre. d. Fortsetzung der Kirchengeschichte. 2. Für die evangelischen Schüler: a. Kirchengeschichte nach Noack. b. Lektüre des Römerbriefes nach dem Grundtext.

2) Deutsche Sprache. a. Geschichte der deutschen Litteratur der neuern Zeit. b. Goethes „Tasso", „Iphigenie", Schillers „Braut von Messina", Lessings „Laokoon". c. Aufsätze, Dispositions-Uebungen, freie Vorträge. d. Die Hauptlehren der Psychologie.

3) Lateinische Sprache. a. Cic. de officiis I, II. Tac. Germania. Liv. IX, X. b. Horat. Carm. III, IV, ausgewählte Epoden, Satiren und Episteln; Memorieren verschiedener Oden. c. Aufsätze und schriftliche Übersetzungen ins Lateinische. d. Stilistische und grammatische Erörterungen im Anschluss an die schriftlichen Arbeiten.

4) Griechische Sprache. a. Thucydides I; Demosth. Philipp. R. I, II; Herodot mit Auswahl. b. Homers Ilias XIX—XXIV; Aeschyl. Persae. c. Schriftliche Übersetzungen in das Griechische.

5) Französische Sprache. a. Lektüre aus Schippers „Auswahl französischer Klassiker". b. Schriftliche Übersetzungen in das Französische. c. Extemporalien. d. Grammatik. e. Anleitung zum Französisch-Sprechen.

6) Hebräische Sprache. a. Wiederholungen aus der Formenlehre und aus der Syntax. b. Mündliche und schriftliche Übersetzungen.

7) Mathematik. Wiederholungen und Aufgaben aus dem gesamten, in den Bereich des Unterrichts fallenden Gebiete der Mathematik.

8) Physik. Akustik, Optik, ausgewählte Kapitel aus der Lehre von der Wärme, dem Magnetismus und der Elektricität.

9) Geschichte und Geographie. Allgemeine Geschichte der neuern Zeit nebst der brandenburgisch-preussischen Geschichte. Geographische Wiederholungen.